

QUAESTIO VII.

An qui pauca elargitur, tam possit esse liberalis, quam qui multa?

Respiciendum hâc in questione vel vulgi iudicium, vel Sapientum: *SI ILLIUS: quem quâsò inveniemus, qui non potius ad objecti quantitatem calculum ponat; quàm ad habitum interiorem; sic oculos multorum Pluto suò perstrinxit splendore. Nec ratio fors illos omninò destituit. Ab objecto Liberalitas suam denominationem accipere videtur, tanquàm à necessario προσκειμένω. Quæ enim hæc Liberalitas, quæ affectu tantùm & verbis lautè concepta? E. cuius objectum præstabilius & dignius; ille etiam pro liberaliore reputandus; & sic non tam liberalis videbitur, qui pauca, quàm qui multa elargitur. Sed pilum aberrat, nil tangit. SI JUDICIUM SAPIENTUM: illi ad insigniorem hanc donorum speciem non adeò lippunt, ut causa vim, à quâ Liberalitati suus vigor, dignoscere nequeant. Aristotelis sententia hæc est l. 4. Nicom. cap. 1. ἔδεν κωλύει ἐλάττωτερον εἶναι τὸν πρὸ ἐλάττω δίδοντα: ἴσταν δ' ἢ ἐλάττωτερος λέγεται, pro facultatibus Liberalitas appellatur. Quod verò facultatibus deest, hoc animus dapilis & jucundus solidè complet. I. Hic enim exacta est mensura, ad quem omnia beneficia exiguntur. Animus est, qui parva extollit, sordida illustrat, magna & in præciò habita dehonestat. Id refert, quò illa rector animus impellat, à quò forma datur rebus, inquit Seneca lib. 1. de beneficiis c. 6. fol. 3. II. Nonnunquam nos magis obligat, qui dedit parva magnificè; qui regum æquavit opes animò; qui exiguum tribuit, sed libenter; qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit: qui non voluntatem juvandi habuit, sed cupiditatem, qui accipere se putavit, beneficium cum daret &c. ut iterum elegantissimè Seneca c. 7. d. l. III. Nec opus est, ut studiosius inquiramus, cum quaestione*